

adilitate sua uarias centum quinquaginta uniuersas misit, dein Pompeius magnus quadringentas decem, diuus Augustus quadringentas uiginti. Idem Q. Tuberonem, Fabio Max. COSS. iij. Nonas Maii, theatri Marcelli dedicatione, tigrin primus omnium Romæ ostendit in cauea mansuefactam: Diuus uero Claudius simul quatuor.

De tigridis natura, & camelis, & camelopardali, & quando primū uisa Romæ. CAP. XVIII.

Tigrin Hircani & Indi ferunt, aīal uelocitatis tremēda, et maxime cognita dum capitur. Totus enim fetus, qui semp numerosus est, ab insidiante rapitur equo q̄ maxime pernici, atq; in recentem subinde transfertur. At ubi uacuum cubile reperit foeta (maribus enī cura nō est sobolis) fertur præceps, odore uestigans. Raptor appropinquante fremitu, abijcit unum ex catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumq; consequitur, & subinde, donec in nauem egresso irrita feritas sæuit in littore. Camelos inter armenta pascit oriens, quorum duo genera, Bactriani & Arabici: differunt q̄ illi bina habent tubera in dorso, hi singula, & in pectore alterum, cui incumbant. Dentium superiore ordine, ut boues, carent in utroq; genere. Oēs autem iumentorū in ijs terris dorso funguntur, atq; etiā equitantur in prælijs. Velocitas inter equos, sed sua cuique mēsurā, sicuti uires. Nec ultra assuetum procedit spatium, nec plus instituto onere recipit. Odium aduersus equos gerunt naturale. Sitim & quatriduo tolerant: implenturq; cum bibendi occasio est, & in præteritū, & in futurum, obturbata proculcatione prius aqua: aliter potu non gaudent. Viuunt quinquagenis annis, quidam & centenis. Vt cunq; rabiem & ipsi sentiūt. Castrandi genus etiam scēminas, quæ bello præparentur, inuentum est: fortiores ita fiunt coitu negato. Horum aliqua similitudo in duo transfertur animalia: Nabin Aethiopes uocant, collo similem equo, pedibus & cruribus boui, camelo capite, albis maculis rutilum colorem distinguentibus, unde appellata camelopardalis, dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primum uisa Romæ. Ex eo subinde cernitur, aspectu magis, quā feritate conspicua: quare etiam ouis feræ nomen inuenit.

De chao & cepho. CAP. XIX.

Pompeij magni primum ludi ostenderūt chaum, quem Galli raphium uocabant, effigie lupi, pardorum maculis. Idem ex Aethiopia quas uocāt cophos, quarum pedes posteriores pedibus humanis & cruribus: priores manibus fuere similes. Hoc animal postea Roma non uidit.

De rhinocerote. CAP. XX.

Isdem ludis & rhinoceros, unius in nare cornu, qualis sæpe uisus. Alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato p̄parat se pugnā, dimicatione aluū maxime petēs, quā scit esse molliorē. Longitudo ei par, crura multo breuiora, color buxeus.

De lyncibus, & sphingibus, & crocutis, cercopithecis, Indicis bubus, leucrocotis, eale, tauris Aethiopiæ, mantichora, monocerote, catoblepa, basilisco. CAP. XXI.

Lyncas uulgo frequētes, & sphingas, fusco pilo, māmīs in pectore geminis, Aethiopia generat, multaq; alia mōstro similia: pēnatos equos & cornibus armatos, quos pegafos uocant: Crocutas uelut ex cane lupoq; cōceptos, oīa dētibus frāgētes, p̄tinusq; deuorata cōficiētes uētre: Cercopithecus nigris capibus, pilo asinino, et dissimiles ceteris uoce: Indicos boues unicornes tricornesq;: Leucrocutam perniciosissimam ferā, asini feri magnitudine, cruribus cernuis: collo, cauda, pectore leonis, capite melium, bisulca ungula, ore ad aures usq; rescisso, dentium locis osse perpetuo. Hanc feram humanas uoces tradunt imitari. Apud eosdē & quæ uocatur eale, magnitudine equi flumiatilis, cauda elephāti, colore nigra uel fulua: maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habēs, mobilia quæ alterna in pugna sistit, uariatq; infesta aut obliqua, ut cunq; ratio monstrauit. Sed atrocissimos habet tauros syluestres maiores agrestibus, uelocitate ante oēs, colore fuluos, oculis ceruleis, pilo in contrarium uerso, rictu ad aures debiscente, iuxta cornua mobilia, tergori duricia silicis, omne respuēs uulnus. Feras oēs uenantur: ipsi non aliter q̄ foueis capti, feritate semper intereunt, Apud eos nasci Ctesias scribit, quā mantichorā appellat: triplici dentium ordine pectinatim coeuntium, facie & auriculis bois, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spicula insigentem: uocis, ut si misceatur fistula & tubæ concentus: uelocitatis magnæ, humani corporis uel præcipue appetentem. In India & boues solidis ungulis, unicornes: & feram nomine axin, binuli pelle, pluribus candidioribusq; maculis, sacram Liberi patris. Orsei Indi simias candentes toto corpore uenantur. Asperrimā aut feram monocerotē, reliquo corpore equo similem, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu grani, uero cornu nigro media fronte cubitorū duum eminente. Hanc feram uiuam negant capi. Apud Hesperios Aethiopus fons est Nigris, ut pleriq; existimauere Nili caput, ut argumenta q̄ diximus persuadent: Iuxta hunc fera appellatur catoblepas, modica alioquin, ceterisq; membris iners, caput tantū p̄grauē agre ferens: id deiectū semper in terram, alias internecio humani generis, oībus qui oculos eius uidere confestim expirantibus. Eadē & basilisci serpentis est uis. Cyrenaica hunc generat prouincia xij. non amplius digitorū magnitudine, candida in capite macula, ut quodā diademate, insignem. Sibilo oēs fugat serpentes: nec flexu multiplici ut reliquæ, corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens. Necat frutices, non contactos modo, uerū & afflatus, exurit herbas, rūpit saxa. Talis uis malo est. Creditum quondam, ex equo occiso hasta, & per eā subeūte ui, nō equitē modo, sed equū quoq; absumptum